

Milan stia tanto a voltar. Li reverendissimi, che non si fidano de le guardie de' sguizari che sono al presente in palazzo, hanno deliberato far 1000 fanti per guardia del Conclave, 500 per Colonesi et 500 per Orsini.

*Alia non sunt.*

196 *Exemplum litterarum reverendissimorum do-minorum Cardinalium ad Illustrissimum Ducem et Dominium Venetum.*

Miseratione divina, Episcopi, Præsbyteri, Diaconi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, excellentissimo domino ac serenissimo Principi, domino Antonio Grimano Venetiarum Duci inclito, amico nostro carissimo, sinceram in Domino charitatem. Magnificus Orator vester litteras Excellentiae Vestrae nobis exhibuit decima præsentis datas, quibus ipse Orator convenientia litteris verba addidit de dolore Excellentiae Vestrae suique sapientissimi Senatus ex obitu Romani Pontificis cohortationeque omnium nostrum ad dignum et universaliter utilem pastorem eligendum; postremo de pollicitationibus vestris huic Sanctæ Sedi vosque et vestra ei, prout filios erga matrem deceat, non defuturos. Hee fuerunt vestrarum litterarum vestrique Oratoris verba et sensa cultius in eis scripta et latius ab eo explicata. Agimus itaque toto cordis affectu, omniq[ue] humilitate Deo Omnipotenti gratias, quod pietatem prædecessorum vestrorum et erga hanc Sanctam Sedem veterem observantiam in suis posteris transfudit, atque Excellentiam Vestram quam successorem Ducatus fecit, etiam charitatis et reverentiae erga suam Ecclesiam voluit esse heredem. Quod quidem tanto gratius animis nostris accidit, quanto nunc Sedi huic vacanti et suo pastore destitutæ, undique turbines ac motus jure timeri possunt. Quare etiam Excellentiae Vestrae et suo sapientissimo Senatu post Deum ipsum agimus gratias, quod oblationes suas non solum pro more, sed pro tempore ac necessitate fecerunt. Numquam enim Petri cymba magis auxiliorum et protectionis indigit, quamquam suo rectore et gubernatore destituta ventis et turbinibus ad injuriam patet. Sed ita olim ei spopondit Dominus, ut fluctuare possit, mergi non possit, atque ut ipse ei favel in celis, sic fautores ac defensores disponit in terris. Ecce enim Excellentia Vestra cum suo sapientissimo Senatu, ex alto instincta et Divinæ mentis nutu afflata, litteras ad nos tam humanas ac pias dirigit, Sedis vacantis tutelam suscipit, seque et suum Dominium nobis offert et policetur; ergo feliciter

cum Ecclesia Dei actum est, quum tantum Dominum tutelam ejus suscipit; neque enim scriberelis 196 aut offeritis, si nolitis quod offeritis præstare et adimplere. Novimus fidem et constantiam Excellentiae Vestrae et sapientissimi istius Senatus; quorum fuit atque erit semper, non solum quod promiserint servare, sed multo ampliora præstare quam promiserint. Quare tam, etsi Excellentia Vestra ex debito agat quod agit, ac Deo ipsi a quo omnia imperia et regno sunt obsequatur, dum ejus Ecclesiam observat et protegendarum suscipit, tamen sic vos ei gratias agimus, tamquam beneficium ab ea non debitum accipiamus, rogamusque eamdem Excellentiam Vestram, quod et in aliis nostris ad eam litteris fecimus, quanto cordis affectu possumus, ut sicuti in litteris ac per oratorem suum promisit, ita re ipsa exequatur, ut res et terras Ecclesiæ quam adjuvandam ac protegendarum suscepit, non modo non sinat turbari, sed quod obtulit ac debet, etiam protegat et tueatur. Scire Excellentiam Vestram scimus Franciscum Mariam et Balliones perusinos a Sede Apostolica pulsos et damnatos vestris nuper stipendiis militantes exercitum collegisse, Ferrariae convenisse omnibus notum est. Nihil eos cogitare, nisi ut per Romandiolas irrumptentes alter ducatum Urbini, alteri Perusiam ecclesiasticæ ditionis terras invadant, occasione haud dubie sequuti Sedis hujus vacantis quam vos protegendarum suscepistis; et quamquam Orator vester eos jam exauktoratos a vobis, neque inter vestros amplius stipendiarios connumerari assuerit, tamen animi hominum a quadam suspicione non omnino absurda, liberare non possunt. Cur enim hoc tempore potissimum, nunquam antea dimisi sunt. Vigente præsertim in Iusubria bello, quod contra vos etiam geratur? haec sunt quidem voces hominum palam consentium, hostes istos Ecclesiæ a vobis proctectoribus Ecclesiæ hoc maxime tempore vacationis Sedis et ferventium bellorum, quasi feras ex vinculis ad nocendum emitti non debuisse. Sed dicant isti ut libet, nos potius litteras vestrasque pollicitationes pensitamus, et quamquam 197 possumus Excellentiam Vestram palerne commonefacere ad postremum pœnitere solitos, qui Dei Ecclesiam per se vel alias oppugnaverint, neque unquam Deum sue sponsæ defuisse ultorem, tamen potius gratias eidem Excellentiae Vestrae debere culimus pro Ecclesia defensa, quam ultionem præop-pugnata itaque ut Excellentia Veſtra suspicantium ora observat, ut Deo ipsi placeat ut cymbam Petri asserat, ut promissa implete, id agat quod scimus eam posse, et speramus velle, ut isti Ecclesiæ hostes